

nec voluntas amplius ipsa voluntatis obtinere respectum; nec verò. & multò quidem minus, ulla conversio vel fieri vel esse posset.

76. Siquidem totalis repugnantia, & conversio ad Deum, in uno eodemque subjecto simul locum habere nullo modo possunt.

77. Est ergo conversionis causa unica efficiens, ipse Spiritus sanctus, qui per verbum & Sacramenta, tanquam causam instrumentalem, ordinariè conversionem illam hominis operatur.

78. Caterùm in statu corruptionis altero, homo, post regenerationem & conversionem consideratus, non modo in naturalibus, civilibus, & externis illis spiritualibus actionibus, suum, quod cum non renatis commune habet, retinet liberum arbitrium: verùm etiam multò præstantiores ipsius sunt actiones, ut quæ Spiritu Dei jam reguntur.

79. In spiritualibus autem vere ac proprie sic dictis, liberatum habet arbitrium, ut iam voluntas ipsius Spiritu sancto illuminata ac mota, ea quæ Dei sunt, atque ad salutem æternam directè faciunt, velit, & ad bonas actiones, Deoque placentes alacriter feratur.

80. Hinc est, quòd Apostolus Renatos nominat *συνεργῶς* gratiæ acceptæ, & omnia in Deo posse.

Theolo-  
gicum homini